



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quomodo iudex delegatus procedere debeat in cettis quibusdam
causis delegatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

est, prout sumitur ex *c. literis 29 h. t.* ne iurisd. & ius illi subdelegata inuulsi sit, & frustratoria.

§. II.

Quomodo Iudex delegatus procedere debeat in certis quibusdam causis delegatis?

Casu quo coram delegato probatur, auctorem in hac causa, qui delegationem impetravit, ante delegationis impetrationem excommunicatum jam fuisse, procedere non potest delegatus, quia rescriptum tale ab excommunicato ad iudices delegatos impetratum, nullum est *c. i. de rescriptis in 6.* si verò probetur, quòd post delegationis impetrationem incurserit excommunicationem, tum absolvitur à Delegato, ut agere possit, si propter causam sibi commissam excommunicatus sit: si verò propter aliam causam excommunicatus sit, ad eum pro absolutione remittatur, qui eum excommunicavit, qui si malitiosè absolvere eum nō velit, delegatus Papæ eum absolvat, nisi sit excommunicatio Papæ reservata, iuxta *c. prudentiam 21. §. 6. h. t.* ob rationem scilicet supra allatam commissi principalis & annexi: de quo casu uti & de alijs vide *c. de consultationibus 10. c. consuluit 24. & c. pastoralis 28. h. t.*

§. III.

De potestate exequendæ, quæ competit iudici Delegato, & de tempore, intra quod fieri debet executio.

Delegatus à Summo Principe vel Papa potestatem habet, latam à se sententiam eam exequendi, per se, & pro-

prios ministros, vel per alium, ita ut eam etiam executionē committere & demandare possit ordinario iudici, & tam hunc nolentem, quàm alios sive executioni obstitentes cogere, & punire possit, si parere, aut desistere nolint. *c. significasti 7. h. t.* (cū sit his omnibus in ordine ad causam sibi commissam superior) & parere debeat constitutus executor (si tamen merus executor sit, & nudum illi exequendi ministerium demandatum sit) quamvis sciat, injustam sententiam esse contra jus partis v. g. uti habetur in *c. pastoralis 28. §. quia verò h. t.* non autem si sciat, nullam illam esse, latam v. g. auctoritate falsarum literarum & c. cū huic tali executori nulla cognitio, sed sola executio sententiæ concessa sit, quæ si valida sit, qualis est etiam injusta sententia, à tali executore debet mandari executioni, ut sit litium finis) nisi pars læsa, remedium debitum interponendo, executionem impediatur; ad quæ omnia facilius expedienda potest Delegatus Pontificis brachium etiam Episcopale, aut sæculare, in subsidium invocare (extraordinarium hoc medium arripendo, si nullum ordinarium remedium, coercendi v. g. contumaces per censuras & c. super sit) vel armata etiam manu executionem urgere, si aliter eam obtinere non possit. Habet autem à Papa delegatus integrum annum (continuum scilicet, qui semper currat etiam diebus feriatis) ad exequendam sententiam à se latam, uti constat ex *c. quarenti 26. h. t.* intra quem, si condemnatus paulo post executionem factam iterum turbat illum, qui in causa vicit, potest Delegatus jurisdictionem reassumere, ad hoc, ut compellat